

cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios atq; Chaldeos hoc signaculo distinguerentur. Verum quis crederet, DEUM hanc notam, qua soboles Abrahami à Gentilibus esset discernenda, ab Ægyptiis esse mutuatum? num tunc propositum sibi finem discernendi populum Israëliticum ab aliis obtinisset Deus? Tantum aberat, ut, desumptis ex Ægyptiaco cultu ritibus, Deus ab Ægyptiis aliisq; gentibus Hebræos separaret, ut potius animos eorum conjungeret, iisq; ad varias superstitiones ansam suppeditaret. Nam quid magis connectit, quam similitudo rituum, cum similis, ut vulgo dicitur, gaudeat simili. *Habet morum similitudo, inquit Spencerus l. 2. p. 225. ἐκλύσικόν τι, & homines ritibus communibus conciliati, affectu & consuetudine facile conjunguntur.*

§. 10. Addimus his deniq; (VII.) *Consensum Antiquitatis*, cum nemo ex antiquis absurdam hanc habuerit sententiam. Quin contrarium potius facile ex Patribus antiquis probari queat. Sic enim *Theodoret. Quest. 3. in Exod. Unde constat, quod Ægyptii temporibus illis nondum circumcidebantur: postea vero Hebræos imitati circumcisionis legem amplexi sunt.* Venerabilis *Beda in quest. sup. Gen. Tom. 8. p. 199. edit. Basil. anno 1563. ita: Jam tunc propter peregrinationem inter gentes datur ei (Abrahamo) circumcisio in signum.* Nec tacendus hic est locus ille *Hieronimi*, qui plane egregius est, quemq; jam supra citavimus §. 9. Quid? quod plane hoc dogma *Marshami & Spenceri* jam suo tempore *Cyrillus cont. Julian. L. 10. p. 354.* inter nefandas *Juliani Apostatæ* opiniones retulerit, scribens l. c. *Julianum dixisse, Circumcisionem apud Ægyptios diversatos didicisse Abrahamum, Isaacum & Jacobum. Conf. Van der Weyen in Variis Sacris p. 329. sqq.*

CAP. III.

FALSAM SENTENTIAM REFUTANS.

§. I.

THesi nostra firmis stabilita argumentis, Adversariorum quoq; objectiones, quibus *Circumcisionem ab Ægyptiis ad*
C
He-